

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0356

0354

0360

0350

0365

0345

0405

0305

0455

0255

0855

Ende

Anfang

343

Damascenus dictus, ut habet magister in Spec. Histor. et
habetur idem 40. C. illud in apparatu. Hoc autem nomen
sortitus est hic ager a Damasco, servo Abrahae, quia forte
eum emerat sicut Abraham speluncam duplēm a populo
terrae, ut habetur Genes. 23. In hoc sacro agro utrumque,
scilicet sublimitas et calamitas humani generis, initium sum-
sit. Nam rerum omnium fabricator Deus in hoc loco, VI.
die saeculi, 25. Martii, creatis bestiis terrae cunctisque rep-
tilibus et volucribus coeli, protoplastum primum hominem
Adam tamquam creaturarum omnium finem ac possessorem
de rubro limo terrae hujus agri fixit et insuffavit in faciem
ejus spiraculum vitae et factus est homo ad imaginem et
similitudinem Dei. Qui cum staret nudus coram Deo in loco
suae plasmationis, confestim elevatis manibus gratias egit,
dicens: Manus tuae, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt
me totum in circuitu, itaque memento mei, quod sicut lutum
feceris me et sicut lac mulsisti me et sicut caseum me
coagulasti, pelle et crinibus fecisti me, ossibus et nervis
compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visi-
tatio tua custodiat quaeso spiritum meum. Adam itaque creato,
viro utique insigni et per pulchro, quem nonnulli autumant
ingentem gigantem fuisse factum, cum inter gigantes conmu-
neretur maximus, Josuae XIV., mox eum Deus tanta profu-
dit gratia, ut nullo tradente magistro sed sola justitiae ori-
ginalis virtute omnium liberalium artium clarissime edoctus
est; notitiam quippe omnimodam astrologiae et geometriae,
musicæ, grammaticæ atque rhetoricae habere promeruit,
omnium quoque herbarum, arborum, metallorum, lapidum
pretiosorum, avium, bestiarum, piscium, serpentum cuncta-
rumque creaturarum notitiam habuit; claram praeterea et
explicatam beatæ Trinitatis et incarnationis Christi solus ha-
bere meruit. Unde et Dominus ipsum mundi imperatorem
summumque omnium pontificem constituit; volens denique
Dominus Deus universis coeli et terrae creaturis Adam ipsum
ut suum recognoscere dominum atque rerum omnium pro-
prietates virtutesque innotescere, universæ coeli militiae
mandavit, ut omnes creaturas ad Adam perduceret, quibus
singulis propria imponeret nomina, ac sic singulis stellis coeli

